205 206

recognitam tam in toto quam in quavis minima parte approbat confirmat ratificatq[ue] proratag[ue] et grata firma et valida ac si per ipsum recognita esset suscipit, eiusmodiq[ue] bona et ligamente in se et suos successores reassumit Personali sua recognitione ad id accedente.

Srzednicky et Zielnicka coniugum. Intromissio.

Coram officio et actis praesentibus personaliter stans Illmi tenuti Generalis Regni Prov[id]us Baltsazar Piotrowsky ... una cum [Nobili] Valentino Gierala et Baltsazara Piotrowsky palam publice recognovit. Quia feria sexta post Dominicam Conductus Paschae proxime p[rae]terita condescendendo ad bona Gieraltij nova videl[ice]t [Ad]amum Srzednicky et Alexandram Zielnicka coniuges in bona certa mobilia et immobilia eidem coniugibus per [Nobilem] Annam filiam ol[im] Alberti Gieralt contem Nobilis Simonis Zalkowsky cum eiusdem mariti assistentia personali tam modo donationis quam et commutationis tum etiam et obligationis coram actis praesentibus inscripta eorundemq[ue] bonorum ... utilitates et attinentias iuxta latiorem continentiam eiusmodi inscriptionis nemineq[ue] aliqua in bonis quam hic circa acta impugnante intromisit investivit et in possessionem pacificam contulit. De quo relatio praesens.

Szepietowsky Demissio.

Coram officio et actis praesen[tibus] Castren[sibus] Capitan[eatus] Branscen[sis] pers[onali]t[er] comparens Nobilis Jacobus ol[im] Sebastiani Myslkowsky sanus mente et corpore existens palam publice ac libere recognovit. Quia Nobili Joanni olim Georgij Szepietowsky et ipsius posteris obligationes binas una per Nobilem Thomam olim Baltsazari Szepietowsky in summa duodecem sexagenas polon[icales] super bona Plewsky coram actis hisce inscriptas alia vero per Nobilem Annam olim Thomae Szepietowskij contem Nobilis Alberti Jarkowsky in decem sexagenas polon[icales] coram actis Terr[estribus] Branscen[sibus] inscriptas cum omnimoda potestate eiusmodi inscriptionis partibus ipsum possessione pacifica, liga mentiq[ue] in originalibus inscriptionibus contentis demittit et de bonis condescendit. Omneq[ue] et integrum ius suum sibi ad ... missa serviens in personam eius plenarie et ex integro transfert et transfundit. Intromissionem illi ex nunc realem ... possessione per ... Regni Generalem et Nobiles duos officio acceptandam dat et admittit.

Reverendi Kuczynski Cessio.

Coram officio et actis praesentibus Castren[sibus] Capitan[eatus] Branscen[sis] personaliter comparens Nobilis Stanislaus ... owsky sanus mente et corpore existens palam publice ac libere verbisq[ue] ... recognovit. Quia Admodum Reverendo Sebastiano Kuczynsky de inscriptione certa principaliter per Nobilem Calistum Casimirum ...owsky Nobili Stanislao Casimiro Pulaskij super summam tredecem floren[os] polon[icales] coram actis praesentibus modo debito esse facta et recognita tandem ... recognoscenti per praefatum Nobilem Stanislaum Casimirum Pulasky super eandem summam coram actis hisce cum omnimoda potestate et plenaria facultate eiusdem summae recipiendae transfusa cedit et ...

...bierend[a]

105a

et condescendit omneqz ius suum sibi ad praemissa serviens in personam eiusdem Re-
verendi Kuchynsky transfert et transfundit. Dando eidem omnimodam potestatem
summam eiusmodi recipiendi et de recepta quietandi, pro non restituta iure agendi con-
tinuandi et ad debitam executionem deducendi et pro commodo suo convertendi.
di. Hac sua personali recognitione in praemissis mediante.

Olszewsky Eximit.

Coram officio et actis praesentibus Castren. Capitan. Branscen. personaliter
comparens Nobilis Martinus filius olim Valentini Olszewsky sanus men-
te et corpore existens palam publice ac libere recognovit. Quia olim Nobilis Va-
lentinus Olszewsky parens suus ex obligatione bonorum Olszewo princi-
paliter per se Nobili Felici Kusinsky in quinquaginta sexagenis inscriptus et praeceden-
dens recognoscens in eadem summa demissa, praefatam summam ex
integro persolvit. Ideo ipsum quietat eximit et liberum facit in toto
ex tunc eiusmodi castrensi perpetuo et de bonis condescendit.

Lopiensky Cessio.

Coram officio et actis praesentibus Castren. Capitan. Branscen. personaliter compa-
rens Nobilis Dorothea filia olim Jacobi Lopiensky consors Nobilis Christophori
Falkowsky cum eiusdem mariti sui vitalicio coniugali personaliter astante et consen-
su praesentaneo sana mente et corpore existens palam publice ac libere recognovit.
Quia Nobili Nicolao filio Thomae Lopiensky Lopiensky de gente Lopienie haere-
di et eius posteris de omni et integro iure suo seu inscriptione certa olim Nobili Jaco-
bo quondam Lucae Lopiensky per Nobilem Joannem olim Stanislai Lopiensky super
bona Lopienie Jamiegorze coram actis Castren. Branscen. Feria secunda post festum
nativitatis Sancti Baptistae in anno millesimo sexcentesimo trigesimo secundo
facta et recognita et super se recognoscentem post olim praefatum Nobilem Jacobum
Lopiensky parentem suum legitime spectante. Cum omnimoda potestate eiusmodi
inscriptionis sub parata in toto tamen evictione ligamentis in originali inscri-
ptione contentis cedit et condescendit. Omneqz et integrum ius suum hactenus ad prae-
missa serviens in personam eius plenarie et ex integro transfert et transfundit
in toto illud ex nunc realem cum possessione pacifica per ministerialem et alios
suos officiales acceptandam dat et admittit.

Iworkowsky Quietatio.

Coram officio et actis praesentibus Castren. Capitan. Branscen. personaliter com-
parens Nobilis Michael filius Jacobi Zapinsky de Zapy Baranki...
sanus mente et corpore existens palam publice ac libere recognovit. Quia olim
Nobilis Blasinus olim Joannis Iworkowsky ex obligatione bonorum im-
mobilium in bonis Iworki sitorum principaliter per Nobilem Joannem olim Jaco-
bi Iworkowsky Nobili Petro olim Andreae Iworkowsky coram actis
praesentibus Feria quinta post festum Sanctae Agnetis in anno millesi-
mo sexcentesimo trigesimo quarto in summa quinquaginta sexagenis polonicalium inscri-
pta et per eundem Petrum Iworkowsky sibi recognoscentem in eadem sum-
ma demissa, easdem quinquaginta sexagenas grossorum polonicalium ex integro et realiter
persolvit. Ideo ipsum quietat eximit et liberum facit in praesenti ...
cum toto effectu castrensi perpetuo et de bonis ex nunc et legitimo haeredi condescen-
dit. Personali sua recognitione in praemissis mediante.